



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Parallela Geographica Italiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 6. De Insulâ Gauulo, Gozo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13120

Civitas Vecchia, Viterbium, Niceam, Villamfrancam, Augustam in Sicilia, ac demum concedente Carolo V. anno 1530. in hanc Insulam Melitam, eâ lege vt se clientes eius profiterentur, oblato quotannis Falcone Siciliae Proregi. Concesserat eis quoque Tripolim Barbariae, sed hanc perdidere anno 1551.

Reditus ordinis est tercenties mille aurei extra praedas, & spolia Turcarum; Magister sexaginta millia aureorum sibi seponit. Quinque triremes *des Galeres*, semper armatas habent, in singulis 100. milites, & 20. Equites, sed in Praetoriana 30. Equites numerantur. Insula diligenter seruatur, & ab eâ fædè semel repulsus Ottomanus, non facîle eius inuadendæ consilium capiet.

N V M. 6. De Insula Gauo, Gozo.

Huius Insulae *longitudo* est 20. millium, *latitudo* vndecim, ex recenti mensurâ; nam antea ei *longitudinis* tribuebantur octo millia passuum, *latitudinis* quinque. *Ambitus* 30. de Ambitu noluit pronuciare qui hanc dimensus est.

Aëris purissimi est, iugibus aquis abundat, & culta multos fructus, & suauissimos reddit. In eâ Falcones optimi capiuntur in editâ rupe.

Capta est à Turcis Melitam obsidentibus, qui ex eâ septem millia captiuorum abduxerunt: nunc in ea quinque millia capitum numerantur. Huius Insulae Principem se Magister appellat, & ad hanc regendam tertio quoque anno praefectum mittit. Indigenæ omnes loquuntur Arabicè, omnes Christireligionem profitentur, & Equitibus addictissimi sunt.

§. 3. *Descriptio Geographica Siciliae iuxta recentem diuisionem.*

DIVIDITVR nunc Sicilia in tres valles, siue ditiones, *Demonia*, *Neto*, & *Mazara*, de quarum nominibus supra egimus. Earum autem hi termini sunt. Demonam, vbi Messana, distinguunt Fl. Himeræ Borealis, vulgè *Termini*, & *Iaretta*, olim Simethus aut Terias, vt praemonuimus in Vetere. Vallis Nectina *di Neto*, aut *Noto*, iacet inter praedictum *Iaretta*, & Himeram Australem, seu *Gelam*, hodie *Salfo*. Quod superest, Mazaranae valli, *di Mazara* contribuitur.

Parall. Geogr. Tom. II.

K K K k k k